

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

UNIVERSITY OF TORONTO

Level Two Medieval Latin Examination

14 April 2010

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. Charlemagne lays out the city of Aachen

Exsuperatque meum ingenium iustissimus actis
Rex Karolus, caput orbis, amor populi que decusque,
Europae venerandus apex, pater optimus, heros,
Augustus: sed et urbe potens, ubi Roma secunda
Flore novo, ingenti magna consurgit ad alta
Mole, tholis muro praecelsis sidera tangens.
Stat pius arce procul Karolus loca singula signans,
Altaque disponens venturae moenia Romae.
Hic iubet esse forum, sanctum quoque iure senatum,
Ius populi et leges ubi sacraque iussa capessant.
Insistitque operosa cohors; pars apta columnis
Saxa secat rigidis, arcem molitur in altum;
Ast alii rupes manibus subvolvere certant,
Effodiunt portus, statuuntque profunda theatri
Fundamenta, tholis includunt atria celsis.

2. Peter the Venerable in praise of his recently deceased mother's longing for the religious life

At ego nec claritudinem generis nec amplitudinem possessionis nec quantamlibet in ea commendandam suscepi gloriam carnis—quarum illa rerum multis superior paucis inferior erat—sed deuotum Deo animum, mundi contemptum, celestium appetitum. Ad que ut compendiosum transitum faciam, cum in 'flore feni' adhuc recubans iuncta esset uiro, alligata mundo, ad ea uelut captiuus ad libertatem, uinctus ad solutionem, exul ad patriam suspirabat; et se coniugali uinculo prepeditam, hominibus ignoto Deo cognito mentis angore deflebat. Ea de causa cum ciues ciuitatis illius cui inhiabat et ad quam suspirabat forte occurrissent, adorabat, suscipiebat, colebat, et abjecta omni domestica et mundana cura se totam in eorum affectus et obsequia transfundebat. Suscipiebantur monachi, trahebantur heremite, et omnes habitu uel fama religionis ornati passim ad hospitandum, etiam cum resisterent, cogebantur. Non audebat iam quilibet talium per terram eius iuri subiectam commere quin ad eam diuerteret, et uno die uel pluribus apud ipsam manendo, deuoto erga diuina animo satisfaceret.

3. Charlemagne's mandate for the study of grammar by monks

Karolus gratia dei rex Francorum et Langobardorum ac patricius Romanorum Baugulfo abbati et omni congregationi, tibi etiam commissis fidelibus oratoribus in omnipotentis dei nomine amabilem direximus salutem. Notum igitur sit deo placitae devotioni vestrae, quia nos una cum fidelibus nostris considerauimus utile esse, ut per monasteria nobis Christo propitio ad gubernandum commissa, praeter regularis vitae ordinem atque sanctae religionis conversationem, etiam in litterarum meditationibus eis, qui donante domino discere possunt, secundum uniuscuiusque capacitatem discendi, studium debeant impendere qualiter, sicut regularis norma honestatem morum, ita quoque docendi et discendi instantia ordinet et ornet seriem uerborum, ut qui deo placere appetunt recte vivendo ei etiam placere non neglegant recte loquendo. Scriptum est enim: 'Aut ex uerbis tuis iustificaberis aut ex uerbis tuis condemnaberis.' Quamuis enim melius sit bene facere quam nosse, prius tamen est nosse quam facere.

4. Boccaccio's attack on scholastics who criticize difficult poetry

Obscura, aiunt cavillatores hi, esse persepe poemata, et hoc poetarum uicio, id agencium ut quod inextricabile est artificiosius uideatur esse compositum, idque egisse uolunt, inmemores ueteris oratorum iussus, quo cauetur planam atque lucidam oracionem esse debere. O peruerse mentis iudicium! Quis enim preter dolosam animam in cogitacionem tam nephariam declinasset ut quod ei inaccessible est non solum odio habeat set falsa, si possit, criminatione deturpet? Fateor non numquam obscuros esse poetas; set prebeant, si uolunt, ipsi responsum, numquid phylosophorum, quorum numero ipsi impudice se miscent, contexta comperiant adeo plana, adeo perlucida, ut debere dicunt oracionem incedere. Si asserant, mencentur, cum inter scripta Platonis et Aristotilis, ut de ceteris sileam, perplexiones adeo innodate sint, ut nondum a multis perspicacibus uiris ab eorum seculo in diem usque hunc examine, potuerint satis lucide concordi sententia explicari!